



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Referuntur sententiæ, & præmittuntur aliqua ad resolutionem
quæstionis necessaria,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

64. Dico secundò: Licet Christus habuerit jus regium directum seu temporale, & potestatem in totum universum, ab illius tamen exercitio abstinuit, neque ullum penitus temporale regnum administravit: quia non decuit omnino ut potestatem purè civilem exerceret, cum illa, comparatione spiritualis & divinæ, vilis sit; & quemadmodum non decet ut Rex exerceat minora officia, ad quæ tamen exercenda habet potestatem: ita cum Christus propter fines majores venisset, & omnium maximos, ut sanctificator, ut glorificator, ut redemptor &c. non decebat ut per se exerceret potestatem purè civilem & politicam. Deinde, exercitium regie potestatis non bene conveniebat cum exemplis patientiæ, paupertatis, humilitatis, & obedientiæ usque ad mortem crucis, quæ Christus in hoc mundo debebat exhibere: unde aiebat ipse Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Habuit ergo Christus potestatem solum generalem; & divinæ similem, non præjudicantem particulari potestati Regum temporalium, nec usui hujus potestatis circa suum regnum: nam sicut influxus causæ superioris, non impedit influxum particularis causæ, sed magis juvat: ita nec Christi potestas altioris & universalioris ordinis, Regum temporalium jurisdictionem destruit, sed magis stabilis ac firmat, & florentiorem, diuturniorem, & potentiorē efficit; non enim Christus eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Unde apud Augustinum tract. 115. in Joan. clamat ad omnes Reges terræ, *Nolite timere, non impedio dominationem vestram.*

65. Ex hoc facile conciliari possunt Scripturæ loca, specie tenus pugnantia, quorum aliqua tribuunt Christo regiam potestatem & dominium omnium rerum, asseruntque ipsum fuisse dominum universorum, Regem regum & Dominum dominantium: alia affirmant, ipsum non regnasse in hoc mundo, neque venisse dominari & ministrari, sed ministrare, Joan. 18. & Lucæ 22. Christus enim habuit regiam potestatem, & dominium rerum omnium in actu primo, licet non regnasset temporaliter, neque usum talis dominij habuerit in actu secundo. Ex quo soluta manent omnia argumenta quæ contra præcedentem conclusionem fieri solent.

66. Dices, Si Christus haberet jus regium directum seu temporale in totum universum, sequeretur Summum Pontificem; qui Christi potestati successit, esse regem temporalium omnium mundi regnorum.

Sed negatur sequela, quia Christus non dedit Summo Pontifici omnem potestatem quam habebat, ne spirituales quidem, cum Summus Pontifex non possit instituere sacramenta, dare gratiam extra sacramenta, remittere peccata absque sacramentali confessione & absolutione, & alia nonnulla Christi singulariter propria.

67. Ex dictis colligitur, Christum non solum fuisse Regem, sed etiam legislatorem, cum de ratione dignitatis regie sit potestas condendi leges: unde Isaiæ 33. Christus legislator simul & Rex appellatur: *Dominus legislator noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Porro sicut regia dignitas Christo convenit cum singulari excellentia, nulli alteri concessa, ita & potestas legislativa. Primò, quia fuit divina quodammodo, ratione suppositi divini, unde jus ab eo conditum, vocatur divinum simpliciter. Secundò propter excel-

Tom. I V.

A lentiam legum & præceptorum, quæ triplicis generis sunt: quædam moralia, de quibus Matth. 5. 6. & 7. Alia sacramentalia de quibus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.* Alia præcepta fidei, Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Marci ultimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Tertio, quia per talem potestatem Christus potuit abrogare legem veterem. Quarto, quia fuit amplissima in universum mundum: *Euntes ergo docete omnes gentes &c. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quintò, quia potuit hanc potestatem Vicario suo impertiri, licet non æqualem communicaverit. Denum cum hac autoritate legislativa annexa

B est potestas judiciaria, quam Christus non solum exercet cum singulis hominibus ex hac vita decedentibus, sed etiam cum omnibus in unum extremo judicii die congregatis, juxta illud Joan. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Ejusdem quippe est leges condere, & de legibus judicare quo pacto à subditis servantur.



DISPUTATIO XXIII.

De adoptione Christi.

Ad quæst. 23. D. Thomæ.

C Postquam D. Thomas tribus præcedentibus quæstionibus egit de his quæ conveniunt Christo, per comparisonem ipsius ad Patrem, differit de his quæ Christo conveniunt, per comparisonem Patris ad ipsum, quæ sunt præcipue duo, nimirum adoptio, & prædestinatio, de quibus hic agendum est: de adoptione quidem in hac disputatione, de prædestinatione verò in sequenti.

ARTICULVS PRIMVS.

An Christus, inquantum homo, sit filius adoptivus Dei?

§. I.

Referuntur sententia, & præmittuntur aliqua ad resolutionem quæstionis necessaria.

Certum & indubitatum est apud omnes Catholicos, Christum ut Deum, seu ut substantentem in natura divina, filium adoptivum Dei non esse, cum fides Catholica doceat ipsum ut sic esse filium naturalem Patris, ipsi consubstantialem & coæternum, subindeque incapacem filiationis adoptivæ, quæ extraneitatem in persona adoptanda præexigit, hoc est negationem filiationis naturalis, jurisque ad hereditatem ipsi convenientis ex vi suæ generationis. Unde solum difficultas est, an Christo quatenus homini comparat filiatio adoptiva: Quod in triplici sensu intelligi potest: Primò, ponendo illum purum hominem, non Deum, quæ fuit hæresis Photini. Secundò, ponendo in illo duo supposita, qui fuit error Nestorij. Tertio, ponendo in illo solum unam personam increatam & divinam, cum duplici natura humana & divina, & asserendo ipsam secundum humanitatem, vel inquantum hominem, esse filium Dei adoptivum. In primo sensu

R Rrr ij

nullus, excepto Photino, filiationem adoptivam A in Christo admittit. In secundo eam in Christo posuerunt, ut infra ostendemus, Elipandus Archiepiscopus Toletanus, & Felix Vergletanus Episcopus, qui in Concilio Francofordiensi, auctoritate Adriani Pontificis, ex petitione Caroli magni congregato, damnati sunt. In tertio verò sensu, quidam ex Catholicis filiationem adoptivam in Christo admittunt: nimirum Durandus, Bassolis, & Scotus, licet iste oppositum iudicet probabile. Illum sequuntur aliqui ex ejus Discipulis, quos refert & sequitur Franciscus del Castillo disp. 17. quæst. 1. part. 3. Alij autem Theologi, tam domestici, quam extranei, in nullo sensu filiationem adoptivam in Christo admittunt; imò plures ex illis oppositam sententiam, post Concilium Francofordiense, hæreticam esse existimant, & tres illos sensus à Concilio damnatos esse contendunt. Antequam concludamus, tria breviter hic præmittenda sunt.

1. Primum est, neminem posse sine ingenti temeritate, prædicti Concilij auctoritatem rejicere, cum auctoritate Sedis Apostolicæ illud recognitionem sit, & inter Concilia Ecclesiæ computatū, & Epistola Adriani ad Episcopos Hispaniæ, tanquā authentica approbata, & inter Decretales inserta.

2. Secundum est, quod Concilium hoc astutiæ Hæreticorum per multa tempora latuit, postea diligentia Suri repertum fuit, & tertio tomo Conciliorum insertum: unde nec Durandus, nec Scotus, nec alij, qui ante illius Concilij inventionem, filiationem adoptivam in Christo docuerunt, censendi sunt in hæresim incidisse, quamvis his temporibus filiationem adoptivam in Christo, etiam in tertio sensu, admittere, totum in fide non videatur; ut constabit ex dicendis §. sequenti.

3. Tertium est, Felicem & Elipandum verè Nestorianos fuisse (quidquid in contrarium dicat Vazquez) & in Christo multiplicasse personas, ac in sensu Nestoriano adoptionem in Christo admisisse. Patet id tum ex Epistola Concilij Francofordiensis, editionis Colonienfis paginā 153. columnā 2. versus medium, ubi Patres Concilij alloquentes Felicem & Elipandum, sic aiunt. *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata etiam & damnata est?* Tum ex libro sacrosyllabo, paginā 147. columnā 1. ubi sic habetur: *Non duo filij, ut (sicut illi errando existimant) adoptionis sit filius hominis, & sine adoptione filius Dei.* Ubi clarè sensus Nestorij in Felice & Elipando damnatur.

4. Addo quod in quæstionibus de facto, magis est historici fidendum, quam levibus conjecturis: at historiographi omnes, qui Felicis & Elipandi hæresim descripserunt, illam Nestorianam fuisse asseverant. Ita enim asserunt Alcuinus Magister Caroli magni, lib. 3. de Trinitate cap. 4. Ionas Aurelianus lib. 1. de cultu imaginum in principio, S. Antoninus 2. parte historiæ titulo 14. cap. 1. Mariana lib. 7. de rebus Hispaniæ cap. 8. & Baronius tomo 9. anno 783.

Nec obstat quod Vazquez opponit in contrarium, nempe à Concilio Francofordiensi hæresim Elipandi & Felicis, novam appellari. Nam ideò solum à Concilio nova appellatur, quia hæresim Nestorij jam mortuam & sepultam, renovavit, & de novo suscitavit, ut constat ex libro sacrosyllabo ejusdem Concilij, paginā 148. columnā 1. ubi sic dicitur: *Elipandum namque & Felicem, novos hostes Ecclesiæ, sed veterinosā facie perfidia pollutos &c.*

Non valet etiam alia conjectura, cui potissimum fidet Vazquez, nempe quod Elipandus in sua confessione, manifeste fateri videtur, Dei & hominis in Christo unam tantum fuisse personam: nam loquens de Filio Dei ait esse hominem factum, crucifixum, mortuum &c. Ex quo pater agnovisse per communicationem idioma-tum dici de Filio Dei quæ competunt Christo ut homini: hæc autem communio non stat sine unitate personæ. Et insuper addit hæc verba: *Qui dicit gloriam meam alteri non dabo, homo interior in una eademque Dei & hominis persona conglomeratus, atque carnis vestimento indutus &c.*

Quibus verbis aperte fateri videtur, unam tantum in Christo esse personam.

Non valet, inquam, hæc conjectura, nam Elipandus his verbis, non verè & sincere, sed dolose ac simulate, unam in Christo personam admisit, intelligens non unam per unionem physicam substantialem, sed per unionem moralem (ut etiam de Nestorio notavit D. Thomas supra quæst. 2. art. 6.) & nomine unitatis personæ utens, ut fideles deciperet, eo modo quo Pelagius Patres Concilij Palestini fecellit, admittens necessitatem gratiæ, sed nomine gratiæ intelligens donum creationis. Quod verò in hoc sensu Elipandus loqueretur, constat tum ex verbis Concilij asserentis Nestorium dicere copulationem, quod Elipandus & Felix appellabant adoptionem. Tum ex verbis illis quibus Elipandus utebatur ad unitatem istam explicandam, *Deglomeratus, & carnis vestimento indutus*, quæ aperte indicant unitatem non substantialem, sed accidentalem.

§. II.

Conclusio negativa statuitur. & auctoritate Concilij Francofordiensis fulcitur.

Dico igitur: Christus ut homo, filius Dei adoptivus non est.

Probatur conclusio ex Concilio Francofordiensi, in quo Christus filium Dei adoptivum non esse multoties asseritur: nam in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, editionis Colonienfis paginā 149. columnā 2. post initium, sic dicitur: *Si verus Deus, & verus filius, & si verus filius, nequam adoptionis, quia adoptivus, sicut in testimonio S. Hilarij possumus est, non verè naturā est filius.* Et paginā 152. columnā 2. circa medium: *Unitas persona quæ est in Dei Filio, & filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* Et paginā 153. columnā 2. circa initium: *Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius filius Dei: Ergo ex mente Concilij asserendum est, Christum ut hominem, Filium Dei adoptivum non esse.*

Respondent primò Adversarii, Concilium ibi non negare adoptionem in Christo, ratione naturæ humanæ, sed tantum ratione suppositi creati, seu adoptionem multiplicantem in Christo personas: mens enim Concilij (inquiunt) ex opposito errore quem damnat venanda est: Felix autem & Elipandus, quos ibi damnat Concilium, in sensu Nestoriano Christum esse filium Dei adoptivum asseriebant, nempe adoptione purā, cum filiatione naturali impossibili, subindeque personas in Christo multiplicante: Ergo Concilium hunc tantum modum adoptionis in Christo excludit, non autem adoptionem ratione naturæ humanæ in Christo cum unitate personæ compositā.